autem sol ortus esset, descendimus in vallem pastorum ad Gloria in excelsis ibique hymnum coelestem cum Angelis cantavimus et locum curiosius conspeximus. De hoc loco vide P. 1. fol. 174, A. B. Laudibus ergo in valle finitis adscendimus in Bethleem ad prandium sumendum. Post comestionem ipsum S. Jeronymi monasterium undique perlustravimus et ruinas ejus mirati sumus, ipsum etiam oppidum Bethleem circuivimus et ad cisternam David accessimus et collationem de sacris scripturis de bis locis mentionem facientibus simul habuimus. Et ita cum gaudio diem illum deduximus in loco gaudioso et sanctissimo. Valde enim jocundum est morari ad praesepe Domini, tum propter sanctitatem loci et indulgentias, tum propter ecclesiae venustatem, tum propter monasterii insignissimi ingentes ruinas. Fuit enim non tam monasterium monachorum, quam palatium et fortalitium imperatorum, quod simplices credunt fuisse S. Jeronymi monasterium, sed non est. Sanctus enim Jeronymus sub tugurio ibi deguit in pauperculo monasterio, quod suo tempore fundatum fuit, unde dicit in epistola ad Fabiolam: Ego, inquit, diversorii Bethleemitici et praesepe Domini amator, in quo Virgo puerpera Deum fudit infantem. Et in regula sua Can. 26. Nihil, inquit, hac sublimitate sublimius, quam Bethleem, in hoc parvo foramine coelorum conditor natus est. Nam ante S. Jeronymum fuit locus nativitatis Christi nuda specus, nec ibi erat monasterium. Unde dicit, ut habetur in ejus regula Can. 20: Nos ex providentia aedificato monasterio et diversorio prope structo, ne forte et modo veniens Joseph cum Maria Bethleem non inveniat hospitium. Dicitur enim in Legenda Jeronymi, quod Cyrillus episcopus Jerosolymitanus dedit ei parochiam Bethleem, in qua aedificavit cum vicinorum adjumento monasterium, sed deficientibus sumtibus misit fratrem Paulinianum ad patriam, ut suas venderet possessiunculas, et pecunia in structuram monasterii Bethleem converteretur, ut habetur in regula cap. 20. Quantum enim possum conjicere, non vides, quod tempore beati Jeronymi sit aedificata illa ecclesia solennis, quae hodie ibi est, quam tamen inexperti dicunt ab Helena erectam, quod et ego credebam, sed dispositio moderna non admittit, quia dicitur, quod beatus Jeronymus

0907
0905
0911
0901
0916
0896
0956
0856
1006
0806
0406
Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;